

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
MORBORVM  
RECIDIVIS

QVAM  
AVSPICE SVMMO NVMINE

ET  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
IN ALMA ET PERANTIQVA HIERANA

SVB PRAESIDIO

DN. D. JOH. HIER. KNIPHOFII

ANAT. CHIR. ET BOTAN. PROFESS. PVBL. FAC. MED. ASSESS. ORDIN.  
ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. ADIVNCTI  
ET BIBLIOTHECARIJ,

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS

LEGITIME IMPETRANDIS  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVEMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

JOHANNES GEORGIVS ENGEL  
ERFORDIENSIS,

H. L. Q. C. A. S. R. MDCCLII. DIE XIV. FEBR.

ERFORDIAE,

Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

Pathol. gen.

214,26

Patholog. 87.



INSTITUT FÜR ANATOMIE  
MORPHOLOGIE  
GROSSER SAAL

ANSPRECHUNG  
KOMMISSION FÜR ANATOMIE

PROFESSOR  
ANATOMIE

DOZENT  
ANATOMIE

ASSISTENT  
ANATOMIE

LEHRER  
ANATOMIE





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
RECIDIVIS MORBORVM.

§. I.



Morbus cum sit ex mente Ill. HAMBERGERI impotentia exercendi actiones suas quascunque decenter a statu præternaturali corporis humani dependens; partesque nostri corporis, & ratio, qua eadem in præternaturalem statum converti possunt, tam varia sint; morborum diversitatem hinc oriri fat magnam, quisque intelligit,

§. II.

Differunt morbi non modo ratione causæ & partis affectæ, sed & ratione eventus. Alii enim in sanitatem, alii in mortem, alii in alium morbum terminantur, alii certo tempore redire solent. Varius hic morborum eventus rationem suam habet sufficientem, maxime in causis vitæ & morbi, prout singulorum vim suam exercent. Vitæ causæ teste BOER-



HAVIO cognoscuntur ex functionibus vitalibus, animalibus & naturalibus, & ex læsis iisdem concluditur causæ morbi magnitudo. Sanus igitur evadet ægro-  
tans, si vitæ causa efficacior est causa morbi; & mor-  
ti erit proximus, si morbi causa superat causam vitæ;  
in alium morbum verget malum, si materia morbifica  
a vi vitæ vel mutatur, vel in alium locum pellitur; id  
quod medici *metastasin* vocare gestiunt, si nimirum  
morbi materia ex parte nobiliori in ignobiliorem par-  
tem transfertur. Qua ratione tandem morbus rever-  
tatur, fusius sequentibus explicare nobis animus est.

§. III.

*Recidiva* est ea corporis dispositio præternatura-  
lis, qua fit, ut post prægressum quendam morbum,  
idem oriatur morbus.

§. IV.

Ex hac definitione data satis liquet, quod paro-  
xysmi recidivis minus sint annumerandi. *Paro-  
xysmus* enim cum sit tantummodo pars morbi ægro-  
tantem gravius reliquo tempore affligens, satis diffe-  
rentiæ adest; nam *recidiva* omnem morbi ambitum  
sub se comprehendit.

§. V.

Præmeditato interdum morbus a prudenti medi-  
co revocatur, prout indicantia id postulant, eum, in  
finem, quo morbi sanatio eo feliciter succedat. De  
hoc autem genere recidivarum non acturi sumus, sed  
de illis potius, quæ nobis invitis oriuntur.

§. VI.



§. VI.

Tres in medicorum scholis numerantur recidivarum species: aut morbus ob singularem quandam corpori inductam dispositionem necessario recidit, id quod morbus simpliciter *recurrens* vocatur; aut morbus ab alio morbo productus, tandem illum ipsum, a quo originem duxerat denuo producit, ita ut causa ab effectu suo, quasi per circulum redeunte, dependeat. Hæc species recidivæ vocatur *per circulum rediens*; aut a morbo quodam corpus ita disponitur, ut facile ab accedente leviori quadam causa rursus revocetur morbus. Hæc ultima species κατ' ἐξοχήν recidivæ nomen accipit. Conf. Diss. de morborum recursu, sub Præsidio Ill. de BÜCHNER 1751. Halæ habita.

§. VII.

Cognita nostri corporis structura per se morborum distinctio prodit, quod sint vel partium solidarum, vel fluidarum. Cum itaque recidiva etiam sit morbus, omnesque morbi proprietates habeat, licebit hinc eandem quoque distinctionem recidivis tribuere. Dantur itaque recidivæ vel partium solidarum, vel fluidarum.

§. VIII.

Ad causas mali nostri quod attinet §. VI. generales quidem sunt adductæ; speciatim vero recidiva natales sumere potest vel culpa subjecti s. ægroti, vel culpa medentis. Subjecti culpa morbus recurrit, partim ex commissis vitiis diætæ, partim si dispositione quadam hæreditaria ad morbum quendam prona,

A 3

est



est præditum. Commonstrant hoc, epilepsia & affectus quidam arthritici. Præter hæc quoque ob subjecti propriam dispositionem morbi impetus repetere solent: graciles hinc sæpius & facile diarrhœis & fluxionibus catarrhosis afficiuntur. DETHARDING *in Fund. Semiol. med. aph. 112.* idem innuere videtur, eis, inquit, quibus caivaria est depressa, affectus soporosi sunt frequentes. Referri huc quoque merentur morbi ætatibus certis congrui.

## §. IX.

Morbos recurrentes a prædispositione dependentes sæpenumero excitare solent anni tempora. Observatio est satis nota, morbos habituales tam verno quam autumno repeti. Ver licet præ cæteris anni temporibus valetudini maxime conducat, mutatio tamen aeris ex frigido-siccò in humido-calidum, quæ tunc existit, corporibus valetudinariis & sensibilibus admodum est adversa. Talis enim aeris conditio corpus relaxat, s. tonum aufert. Autumnali tempore, in quo aer humido-frigidus, ob frequentem hujus ratione gradus & impetus varietatem, valetudinarios facile occumbere necesse est.

## §. X.

Fluidarum partium morbi cum maxime eam ob causam recurrunt, si materia morbifica præcedentis morbi non penitus est destructa s. eliminata, cujus actio in corpus per aliquot temporis spatium est intercepta, id quod fit, si particulae illæ morbum efficientes aliis actionem earundem impredientibus obvolvuntur; liquet,



quet, nihil magis ad excitandum pristinum morbum aptum esse, quam Diætæ errores ex culpa subjecti commissi. Si v. g. corpus locis frigidis, vel aeri ventoso objicitur aut multum ciborum & potus jam convalescens assumit, aut animi pathematibus indulget.

§. XI.

Medentis culpa morbi revertuntur, si vel pharmaceutice vel chirurgice medendo committitur vitium. Pharmaceutice si curando vitium est commissum, morbus recrudescit, quando vel medicamenta morbo incongrua adhibentur, vel talia propinantur, quæ materiam morbificam non prorsus eliminant, maxime autem quando post morbum sanatum debitus tonus per medicamenta debita non restituitur, id quod primario est observandum, nisi recidivam metuere vells. Quod ad vitia chirurgi pertinet, infra, ubi de recidivis partium solidarum agetur, explanabitur.

§. XII.

Permuli licet dentur morbi, recidivis qui sunt obnoxii, alter tamen præ altero magis ad recrudescentiam est pronus. Experientia quotidiana docet, nullum morbum facilius redire solere, quam febres intermittentes. Aegroti culpa hoc maxime contingit, quando salutaribus medici præceptis minus obtemperat, sed pro cœca appetitus indulgentia haud leves in rerum non naturalium usu errores admittit, quo imprimis refertur, quando ventis borealibus corpus objicit, aut in locis frigidis humidis subterraneis commoratur, aut plus ciborum, quam par est, ingurgitat.

Meden-



Medentis vitio, observante FR. HOFFMANNO, in *Oper. med. T. I. p. 355.* forte purgans propinatum quam facile, si reliquæ febriles adhuc in penetralibus cutis latent, febris reditum proritare potest; nullam aliam ob causam, quam quod subtile illud acre virus redolens eorum principium spasticas in genere nervoso provocat constrictiones. Inprimis autem febres intermittentes facillime redeunt, quando febriles motus antequam materia, quæ in vitio est, penitus correctæ & educta est, nimis cito adstringentibus a medente supprimitur. Quandoquidem hoc factò in corpore disposito adhuc ad spasticas commotiones nervorum ac fibrarum denuo stricturæ & motus pristini recrudescunt. Febris profligata iterum incipit perfrigeratis prius notabiliter artibus, dorso dolente, viribus languentibus corpore lasso, horroris cujusdam sensu & alvi obstipatione. V. FR. HOFFM. *l. c.*

### §. XIII.

Ejusmodi indolis sæpe sunt febres intermittentes, ut, si absque prægressa evacuatione primarum viarum profligantur, mox aut gravioribus symptomatibus denuo resultent, aut ex simplici in duplicem, ex tertiana in quartanam &c. mutantur, quæ vero propinatis evacuantibus mitiores redduntur, & tandem per corticem Peruvianam, bono cum successu tolluntur. Porro in ejusmodi ægrotis quidam observarunt, eos, quibus febris solummodo per evacuantia & digestiva, omissis roborantibus, extincta est, & elapso brevi temporis spatio, Venæ sectionem admiserunt, facillime recidi-

vas



vas passos esse. Ex his concludere licet originem & causam morborum recidentium solummodo, ut plurimum, in legitima causarum remotione, vel provida roborantium applicatione neglecta, quærendam esse.

## §. XIV.

Ad hunc censum merito quoque referri possunt morbi capitis graviores, ut apoplexia, paralyfis, epilepsia, hemicrania & insania, eo, quod hi morbi in parte affecta ingentem imbecillitatem & pravam dispositionem relinquunt, quæ accedente animi affectu, immoderata refrigeratione, admessa ebrietate, vel gravi alio in diæta vitio eundem subito ciet, ac denuo concipiet morbum.

## §. XV.

Recidivis obnoxia quoque sunt febres acutæ, ardentis, malignæ, quippe eas sæpius magno cum periculo redire, experientia constat. Harum reditus fieri potest, quando morbus non perfecte a natura judicatus vel curatus fuit, neque materia morbifica medici aut ægrotantis culpa penitus educta est. Pleuritidem & peripnevmoniam præter aliorum frequentes observationes redisse, etiam FR. HOFFMANNVS in *Sammlung außersesener Casuum P. I. c. XVI. Obs. III.* notavit. Hujus reditus autem causa maxime consistit in debilitate a morbo relicta, aut tono partium solidarum nondum restituto, quamobrem vel levissima  
B causa



caussa humorum circulum turbare, effectusque præ-  
posteros in vasis minimis producere potest. In pletho-  
ricis imprimis pleuritis redire solet ex neglecta V. S.

§. XVI.

Ob eundem tonum in partibus solidis amissum  
omnes species hydropis recurrere solent. Longe fre-  
quentius autem & crebrius renum calculus, podagra  
& arthritis resultant, ob maximam, quam partibus,  
quibus incumbunt, quasque dolorum atrocitate delaf-  
fant, inducunt laxitatem ac debilitatem, ita prorsus, ut  
qui semel iisdem affectus fuerit, sæpius eorum insultus  
experiatur, ac rarius vel plane non ab iisdem penitus  
liberetur.

§. XVII.

Îteri crebram recidivam in uno subiecto proba-  
tissimi observarunt medici. Hujus vero causa sem-  
per dependet a calculo ductum choledochum ob-  
struente, testante BAGLIVIO in suis operibus p.433.  
Nato enim obstaculo in communi ductu i. e. choledo-  
cho, quod vetat, ne possit in intestina bilis effundi le-  
gitime, aggeritur bilis paulatim, replet cysticos ductus  
hepaticos & vesiculam, hinc bilis per ductus hepaticos  
retrosum in jecur & cavam denique venam agitur;  
id cum factum est, tingitur sanguis & cutis universo  
flavo colore, & liberantur vasa biliaria. Sed a sangui-  
ne iterum secernitur & morbus sublatus videtur. Cum  
autem



autem hac ratione obstaculum in ductu choledocho non est remotum & bilis in vesicula iterum cumulatur, necesse est, ut rursus ad sanguinem redeat, & de novo iterum, efficiat. vid. BOERHAVII. *Præl. Acad.* T. III. §. 168.

§. XVIII.

Ejusmodi generis sunt morbi venerei, qui, si præpostera methodo sunt sanati, facile quid in corpore relinquunt, quod elapso quodam temporis spatio, iterum sese cum lymphâ communicat, illamque ceu fermentum inquinat & corrumpit, quo facto prior morbus redit.

§. XIX.

Ad morbos recidivos certo respectu quoque pertinet morbus a morfu canis rabidi. Observationes enim hac de re certiores nos reddunt, acerbissimos dolores, post sanationem, elapso quodam temporis spatio, in parte vulnerata recrudescere, qui, accedente hydrophobia, ægrotum non raro necant.

§. XX.

De signis futuræ recidivæ partium fluidarum quædam nunc sunt dicenda. In genere facile morbi recursus est metuendus, si convalescens manet imbecillis, nec cibum appetit, nec rite concoquit, sed multa nausea & ructu nidoroso vel acido afficitur, si spiritus male olet, præcordia inflata sunt, facies livida, si inte-



rior cum siti percipitur æstus, quippe quæ depravatam ventriculi coctionem arguunt, qua præfente morbus adhuc vel intus delitescit, vel nova ad eundem fuscitandum colligitur minera.

§. XXI.

Morbi maligni & mali moris non difficile solent recidere, cum enim hi vires naturæ admodum debilitant, facile fieri potest, ut vel de materia morbifica in corpore relinquatur quoddam, vel ob debilitatem & tonum amissum facile idem morbus recrudescat.

§. XXII.

Cum morbi longi sive chronici oriuntur ex nimio viscido, illudque non facile ex toto resolvi potest; acuti vero morbi ex majori resolutione humorum ortum trahunt, patet, quare morbi, quanto longiores sunt, tanto magis recidivis sint obnoxii, & quanto acutiores, eo minus revertantur. Morbi hinc ex viscido facile recurrunt.

§. XXIII.

Constitutio corporis præfagium quoque futuræ recidivæ suppeditare potest. Experientia hinc comprobavit, eos, qui bona corporis constitutione præditi sunt, & a morbo semel curati, non pati recidivas; male vero constitutos, ut plurimum relabi, id quod ex supra dictis patet: robur enim partium causam morbificam perfecte solvit, at quando adest imbecillitas, ut in valetudinariis, imperfecta fit humorum excretio.

§. XXIV.



§. XXIV.

Potissima signa morbi reditus in febribus die critico sumere possumus. Febris itaque redibit, si post crisin peractam urina tenuis diu redditur & parum colorata; hoc significat coctionem materiae morbificae non rite esse factam, quod ad tollendam febrem primaria est corporis humani actio. Eo peior recidiva est expectanda, si febres cessant sine signis concoctionis; concludere enim tunc licet, materiam morbificam adhuc intus retineri.

§. XXV.

De recidivis partium fluidarum haecenus diximus, quaedam nunc de morbis recurrentibus partium solidarum tractanda sunt. Cataractam saepius revertentem videmus, si pellicula in operatione chirurgica, vel lens crystallina depressa pristinum iterum locum occupat. Pari modo herniae non perfectae curatae redeunt, si nempe robur partis, in qua hernia locum habet, nondum satis adest. Tumores cystici a particula minima pelliculae in excisione relicta, mox iterum succrescunt, cavendum itaque, ne quid in excisione relinquatur.

§. XXVI.

Luxationes, quarum tota curatio in debita partis distortae repositione & convenienti symptomatum tractatione consistit, ita ut hac ratione aegrotans brevi tempore in pristinum statum restitui possit, saepe re-



cidivam patiuntur, ut ligamenta nimia distensione relaxata atque debilitata repositum articulum retineri nequeant, sed eundem iterum statim elabi permittant. Cum autem membrum e sede sua prolapsum non solum restitui sed retineri quoque debeat, opus est ligamentorum & nervorum roboratione spirituosus & sufficiente fatisque diuturna fasciarum deligatione; qua tamen neglecta, membrum ex debito loco elabatur & æger molestissimo repositionis apparatusi denuo est subjiciendus.

## §. XXVII.

In fracturis prudenti chirurgo nihil prius esse debet, nihilque magis curandum, quam ut ossa a se invicem distantia ad mutuum contactum redigat, aptaque manu, sanis partibus conformet, siquidem hac ratione, sub decenti novi succi nutritii gelatinosi affluxu diffracti ossium parietes, sensim conglutinati, coalescunt, osseamque duritiem cum tempore recipiunt. Licet autem facta etiam sit justa repositio, hæc tamen nihil juvabit, recidiva potius fracturæ fiet, nisi simul membrum fractum in convenienti postea servetur situ, quod commoda ejusdem deligatione & collocatione solet obtineri. Vel etiam hac ratione oriri potest recidiva fracturæ, quando chirurgus fasciam ad deligandum necessariam spiritibus aquosis, minimeque rectificatis humectat, quibus muscoli relaxati atque elongati, fracti ossis reposita extrema seinvicem exosculantia dimittunt. Aut si repositis partibus ligaturam injicit nimis



nimis laxam, justoque citius eam solvit, hac ratione ossa nondum satis firmiter conglutinata difficiliter indurescunt, ac si in priori mansissent situ.

§. XXVIII.

Ulcera a vulnerum curatione non adeo differunt. Horum recursum Chirurgus promovere potest, si cavitas non satis diu servatur aperta, labiis ulceris ad se invicem propius accedentibus, præmature clauditur. Vera enim consolidatio cum ante debitam ulceris repurgationem nunquam speranda sit, mirari utique non licet, cur, si materia inclusa stagnando acrior facta, aut novum in eodem loco exitum quærat, ulcusque novum & difficiliter postea sanandum efficiat.

§. XXIX.

Ex qua ratione, cur nævi materni & strumæ certo tempore evanescant, & redeant, intimioribus naturæ scrutatoribus explicandum relinquo, quoniam cum quibusdam hujus phænomeni causam influxui siderum tribuere nolim.

§. XXX.

Eventum repetentium & recidivantium morborum quod attinet, licet ii semper deteriores sint sua matre, non leve tamen est discrimen inter eos, qui ex vitio diætæ, aut mala victus ratione & qui ex relicta materia quadam morbifica producuntur, quo levior enim illa est, eo gravior hæc censenda.

§. XXXI.



## §. XXXI.

Medico itaque nihil magis incumbit in praxi sua clinica, quam ut abacto morbo ejusdem recidivam avertat, eumque in finem cum valetudine in gratiam redeuntibus exactas leges ac regulas diæteticas præscribat, has, ut observentur, serio inculcet & congruis laxantibus, roborantibus & balsamicis, aut etiam si plethora adsit & recidivam ominetur, sanguinis missione imminens periculum prudenter arceat, & præscindat.

## §. XXXII.

Præter expectationem vero si eveniat, ut morbus recurrat, non ineptum actum esse judico, si tunc mutantur remedia ac medicamenta, ut nimirum alia adhibeantur quam in priori morbo fuerunt propinata. Multi enim in praxi clinica id notarunt, quod in præcedente morbo remedia cum felici successu adhibita in recidiva eundem effectum minus præstiterint.





\* \* \*      \* \* \*      \* \* \*

**A**rtis Apolloniæ languentibus esse periti  
 Bis geminam faciem, vero tritoque tenetur.  
 Febribus impatiens si quis tentatur acutis,  
 Immensoque luis torrentur membra calore,  
 Atque dolor, populans nervorum robora, vires  
 Absumfit reliquas, patiens & lumina mœstis  
 Iam turbata genis vix flectit, & arida duro  
 Contractis nervis torpescit lingua palato;  
*Numinis* instar adest medicus, precibusque rogatur  
 Devôtis, ut opem, quibus est spes nulla salutis,  
 Depositisque ferat, subito mortemque propellat.  
 Ecce fugatur atrox fausto medicamine venis  
 Hostis, & infirmis redeunt jam robora nervis,  
 Spesque salutis adest, medicus splendore carebit  
 Numinis immerito, modo Numinis *angelus* explens  
 Creditur esse vices; facies vanescit & ista,  
 Robora quam primum sua languens integra sumsit,  
 Mox *hominis vultu* revelato apparuit ægro.  
 Sed satis est felix hominis vestigia servans  
 Accipiens medicus curato præmia morbo,  
 Immemor accepti nam maxima muneris est pars,  
 Furvus & est multis, servavit qui modo vitam

C

Expe.



Expectans medicus meritorum præmia, *dæmon*  
Phœbus, amice, TIBI merito sua præmia pandit,  
Namque labore satis pectus coluisse per artes  
Et TIBI pellendis morbis non ultima laus est;  
Semper & accipias curarum præmia fructus,  
*Angelus* infirmis, *Homo* sisque valentibus, opto.

*Nobilissimo ac doctissimo Dn. Neo-Doctori amico suo  
omnium suavissimo, de summis in medicina ho-  
noribus cum laude obtentis, gratulaturus hac ad-  
dere, & comem sui memoriam commendare voluit.*

FRIDERICVS HENRICVS JACOBS,  
Med. Doct. & Pract. Goth.

**G**audio perfunditur altus ardor  
Fama *Doctoris* veniens ad aures;  
Sed repentino volitabit ista  
Principum in aulas.

Accipis munus, peramatus intras,  
Sideræ,\* quum TE viridiprehendunt  
Fronde, *Magnates*; merito decore  
Tempora cingunt.

\* Est urbs in  
Lithuania sita.

Comitas oris, Latii lepores,  
Puritas vitæ, Medicina dulcis,  
Arsque sanandi, facient ut omnes  
TE venerentur.

Sic TVIS multis meritis vocatus,  
Suscipis, *Doctore Venerande*, munus,  
Gratulans & munia prima: chara  
Accipe vota.

TE



TVIS exstimulationibus incitatus ad bonam spem  
recreatus, TVO confisus auxilio, TVA adju-  
tus ope animum recepi, abjectum revo-  
cavi, TE duce cursum, quem etiam  
ingressus, tenui, & huc con-  
feci usque feliciter.

Deum immortalem, quanto TV in me fuisti  
omnium optimus mortalium!

Quibus TIBI, Patrone, verbis agam gratias, non  
reperio, nec reperiam unquam!

Gratum TIBI sacrare animum, unum est, quod  
mihi super est.

Quantum fatale stamen mihi extentum, tan-  
tundem extendetur & mea TVI  
memoria.

Accipe Patrone, benevolis manibus, specimen hoc  
inaugurale in tesseram memoris beneficiorum  
animi, quod TIBI tanquam votum  
pura, piaque, suspendam  
mente.

Hoc



Hoc modo aliquantulum, quo premor  
beneficiorum onere,  
levatus  
Deo, in quo bonitas, clementia, justitia,  
potestas maxima, supplex genu  
submitto,  
Velit, ad summam vivas senectutem valetudine  
optima!  
Ex animi sententia, quod adgrederis,  
procedat,  
Omnia consilia sint auspicatissima,  
Omnia secunda fluant, summa felicitas  
emanet,  
Quo TE, TVOSque, quos omni,  
dum spiro, observantia colam,  
Et maxime FILIVM, paternæ indolis effigiem,  
utinam majoribus aliquando clariorem!  
cujus amicitiam memori mente  
retentabo,  
Prosperitas maxima consequatur!

*Ex intimo cordis affectu precatur*

JOHANNES GEORGIUS ENGEL.



VIR

ILLVSTRIS EXCELLENTISSIME  
EXPERIENTISSIME ATQVE DO-  
CTISSIME

DOMINE

D. JOHANNES  
HIERONYME  
KNIPHOF

ANATOM. CHIR. ET BOT. PROF. PVBL. ORD.  
CELEBERRIME

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
ASSESS. ORD.

ACAD. NAT. CVR. ADJVNCTE ET BIBLIOTHECARIÉ  
LONGE MERITISSIME

PATRONE AD CINERES  
VSQVE COLENDE,



\* \* \* \* \*

**T**VA Patrone, in me merita summa, beneficia  
amplissima mihi obtutu uno intuenti  
omnis ratio, proponit, suadet,  
præcipit,

Ut TE non Patronum, sed Patrem alterum a pro-  
pitio mihi Deo datum, colam, devenererque  
æternum.

TIBI in artem salutarem incubuisse,  
gradum Medicinæ jam adspirare Doctoris,  
clementiorem jam sequi vitam,  
uni fero acceptum.

In domum TVAM præclaram, dignitatisque ple-  
nam, me recepisti,

Pro TVO in omnes studio, pro TVA in cunctos  
industria me quoque es complexus,

Divinis & immortalibus affecisti, ornasti, auxisti  
beneficiis, nullamque omnino rem, quæ ad  
meam spectat utilitatem, prætermisisti,  
infectam reliquisti,

TVIS



TE tegat, servet Deus insalubrem,  
Corporis vires animique donet.  
Finibus dictis, rogo cogites mi;  
Vive valeque.

*His paucis Clarissimo atque Doctissimo Dn. Neo-  
Docteri, Fautori colendo, sui memoriam com-  
mendare voluit, ac ista cum candido voto optati  
successus adposuit*

JOH. RVD. GOTTL. GELMROTH,  
Schol. Michael. Collab. & Rev. Minist. Cand.

---

Gelehrte sind Granaten gleich,  
Und tragen ihre eigne Cronen:  
Verdienst und Tugend sind so reich,  
Daß sie sich immer selbst belohnen.  
Wer hat es je so hoch gebracht,  
Als der sich unentbehrlich macht?

Gelehrter, und erfahrner Freund!  
Da sich ein jeder mit Vergnügen  
Bey deinem Lorber-Cranz vereint,  
So folge ich mit sanften Zügen,  
Und trage wenig Zweige bey,  
Damit die Freundschaft zinsbar sey.

Du brauchest meinen Lobspruch nicht:  
Dein Ruhm erstreckt sich bis in Pohlen,  
Wo selbst ein Großherr vor Dich spricht,  
Der Dir sein Leben anbefohlen.  
Den Doctor-Huth giebt Dir Galen,  
Der wird Dich nach Verdienst erhöhn.

Nichts



Nichts schmerzt mich als Dein Abschieds-Kuß,  
Den ich nach so viel Freundschafts-Zeichen,  
Mit grosser Behmuth nehmen muß.  
Hat der Verlust nicht seines Gleichen,  
So schärft mein Freund den Trostgrund ein:  
Ich muß des Glückes Schoos Kind seyn!

Die ausnehmenden Verdienste seines gelehrten  
und theuren Freundes wolte bey seiner Pro-  
motion unterschreiben, und sich zu geneig-  
tem Andencken befehlet

**Germann Friedrich Seitz**  
Baruth. M. C. Opponens.

**W**as Erde, Luft, Wasser und ganze Natur  
An Kräutern und Thieren, an Vögeln und Fischen  
An Salz, Mineral und Metallischer Gut  
Hervor bringt, das kennst Du und hast doch inzwischen  
Dein Hauptwerck die Heilungs-Kunst fleißig erlernt,  
Das Gute gemerckt, was unnütz entfernt,  
Und da Dein Fleiß sich mit der Gottesfurcht baart  
Wiß, Klugheit, Leutseeligkeit Dich stets begleiten  
Die Liebe, die Tugend, die redliche Art  
Dir insgesamt Zutritt zu jeden bereiten,  
So wünsch ich, so hoff ich, so weiß ich gewiß,  
Es gehet Dir wohl, Freund! mein nicht vergiß.

Dem Herrn Neo-Doctori gratuliret zu dem  
erhaltenen und längst verdienten Doctor-  
Huth, dessen bisheriger Stuben-Gesell  
und Opponens

**Johann Gottfried Kniphof.**  
M. C.

☞ (:o:) ☞